

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1253

Auteur(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Auteur(s) : Jean de Charmont, Bayeux (archidiacre)

Auteur(s) : Nicolas de Gamaches, Bayeux (archidiacre)

Auteur(s) : Jean le Bouchier, Bayeux (archidiacre)

Auteur(s) : Jean de Troyes, Bayeux (archidiacre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, 27 septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le chapitre et les archidiacres de Bayeux prient l'évêque nouvellement élu, Odon II de Lorris, de régler le différend qui avait éclaté entre eux, touchant la juridiction épiscopale, après la mort de l'évêque Guy.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXVII, t. 2, p. 213-215.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum Baiocense, Johannes de Karo Monte, Nicholaus de Gamachiis, Johannes dictus Le Bouchier, Johannes dictus de Trecis, in ecclesia Baiocensi archidiaconi, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis quod, cum inter nos capitulum, ex una parte, et nos archidiaconos, ex altera, contentio verteretur, sede vacante per mortem bonae memoriae Guidonis, quondam episcopi Baiocensis, super hoc quod nos capitulum dicebamus potestatem et jurisdictionem episcopalem ad nos in omnibus, sede vacante, devolvi debere et per nos, vel per alios quibus vellemus vices nostras committere, omnia episcopalia jura, in vacatione sedis, exerceri posse, nobis vero praedictis archidiaconis in contrarium dicentibus, et quod ad nos, sede vacante, in archidiaconatibus nostris omnia praedicta jura devolvi debebant, tandem nos capitulum et nos archidiaconi praedicti, paci et quieti ecclesiae Baiocensis in perpetuum providere volentes, unanimiter consensimus quod reverendus pater Odo, Dei gratia Baiocensis episcopus, super usu, consuetudine, et jure tam nostro quam ecclesiae Baiocensis, inquisita de plane et absque strepitu veritate, consideratoque statu ecclesiae praedictae et nostro, nec non et circumstantiis universis, nulla publicatione inquisitionis facta, Deum habens praee oculis, alte et basse ordinet et disponat in simul, vel per partes, super dictam contentionem quod sibi visum fuerit expedire, atque declaret quod capitulum (sic) et quod nobis archidiaconis vel nostris successoribus, in vacatione sedis, et potestate et jurisdictione episcopali competant, et quae competere debeant in vacationibus affuturis. Et tam nos capitulum quam nos archidiaconi memorati firmiter promisimus nos inviolabiliter in perpetuum servaturos quicquid a dicto reverendo patre super praedictis fuerit ordinatum et etiam declaratum. Quod ut ratum et firmum in perpetuum habeatur, tam nos capitulum quam nos archidiaconi praesens scriptum sigillorum

nostrorum fecimus munimine roborari. Debet autem fieri ordinatio prædicta infra annum a festo Nativitatis Domini venturo proximo computandum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, die Jovis ante festum sancti Michaelis in septembri.